

...ung ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

Or
...
...
...
...
...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...



TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

THESES THEOLOGICÆ,
DE
SACRIFICIIS,
CVM EPISAGMATE
ADVERSUS COMMENTI-
TIVM MISSÆ SACRIFICIVM:

Diuinâ fauente gratiâ,

AUTHORITATE VENE-
RANDI ORDINIS THEOLOGICI:

PRÆSIDE REVERENDO ET
CLARISSIMO VIRO, IACOBO KI-
*medoncio, S. Theologiae D. & Profes-
sore, in inclyta Academia Heidel-
bergensi, ad diem VIII. Iunij,*

Ad disputandum propositæ

A CONRADO VORST

AGRIPPINENSI.

PRO LICENTIA DOCTORA-
TVS IN S. THEOLOGIA.



HEIDELBERGÆ
TYPIS SMESMANNIANIS.

ANNO MDCCXCIV.



VIRTUTE ET DOCTRINA SPE-
CTATISSIMO VIRO, IOHANNI RO-
TARIO: AMICO AC DOMINO
colendo, S. P. D.

IAM diu est, *præstantissime Rotari*, quod amoris & obser-
uantia erga te mea testimonium aliquod tibi exhibere cu-
piui: quippe quem ab eruditione ac pietate rara commenda-
tissimum, & mihi quoque impensè fauentem esse memine-
ram: id quod coràm, quum illic adesset, expertus, postea ex
tuis ad me litteris multò cognoui clariùs. Quum igitur hoc
tempore mihi, qui candidam sumsissem (ut Romanum illud
vetus vsurpem) theses iste laudabili consuetudine essent con-
scribenda: eas tibi inscribendas duxi. Argumentum διδα-
σκαλικόν est de sacrificiis typicis & veris: quorum illa etsi nos
observatione sui non obstringunt; significatione tamen &
χερσγωγία ad ipsum corpus, cuius sunt umbra, usum apud
nos obtinent amplissimum. Adtextum est ἐλεγδικόν ἐπιεί-
σωμα aduersus idololatricum & fictitiū sacrificium Missæ;
pro qua tanquam Helena & πλοκάμω aduersarij decertant
acerrimè: & quidē ita decertant, ut sacrificium illud, quod illi
incruentum vocitant, plurimorum martyrum sanguine
iam pridem sit cruentatum fœdissimè: sicut haud dubie tu i-
pse ἀπόπληστος nosti. Has igitur theses amicà manu accipe, lege ac
cense: & clarissimos viros D. Badium ac D. Viuianum pera-
manter à me saluta. Vale. Heidelberg à ipsis Nonis Iunij. Anno
CLV. IO. XCIV.

Tui amantiss.

CONR. VORST.





THESIS PRIMA.



ACRIFICII vocabulum apud Latinos Vox Sacrificij. Bibliorum interpretes ita latè patet, vt non solùm significet sacras illas ceremonias, quibus olim victimæ ex præscripto legis immolabantur; sed etiam res quæ offerri solebant: imo ipsa pietatis & charitatis officia solent dici sacrificia, quatenus hæc vox per quandam similitudinem ad spiritualem & interiorum Dei cultum transfertur.

II.

Et licet hebraica vocabula, non actionem tantùm quâ res offertur; sed etiam rem ipsam oblatam significant: tamen vsus obtinuit, vt sacrificium magis propriè ad actionem referatur: res autem oblata, vel hostia vel victima appelletur. Nomina autem hebraica, *Corban*, *Mincha*, *Hola*, *Zebach*, & si qua occurrunt similia, Græci his vocabulis expresserunt: *προσφορὰ*, *δῶρον*, *θυσία*, *θυσίασμα*, *ὀλοκαύτωμα*, *ὀλοκάρπωσις*, & aliquot aliis. Latini modò retinuerunt vocabula Græca: modo Sacrificij & oblationis nomina vsurparunt.

III.

Sacrificium igitur generaliter acceptum, est oblatio rei sacræ soli Deo facta, ad eum honore afficiendum, & quidem modo ac ritibus ab ipso præscriptis. Definit. Sacrif.

IV.

Author sacrificiorum est Deus, ad cuius solius cultum sunt instituta. Nam inde ab inducto in mundum

A ij pecca-

peccato, & promulgata promissione de vëturo Messia Gen. 3. v. 15. sacrificia à sanctis religiosè tractata fuerunt. Hinc sacrificium Abelis Gen. 4. v. 4. dicitur ex fide fuisse oblatum Heb. 11. v. 4. quæ cum oriatur ex auditu verbi Dei Rom. 10. v. 17. necessariò sequitur, Abelem non absque Dei mandato sacrificasse.

V.

Diuisio
sacrif.

Sacrificia alia sunt typica vel significantia, alia non typica seu significata: & vtraq; rursus vel sunt *ἱλαστικὰ* seu propitiatoria, vel *εὐχαριστικὰ*, siue laudis & gratiarum actionis.

VI.

Sacrif.
Typica.

Typica omnia sunt veteris Testamenti, quorum finis erat, vt veritati tanquam vmbrae subseruirent, populumq; ad meditationem veri sacrificij per Christum peragendi, & cultus interioris exercitium exuscitent. Lex enim habuit vmbra futurorum bonorum Heb. 10. v. 1. Et disertè dicitur Exo. 25. v. 40. omnia ad spirituale exemplar, Mosi in monte ostensum, directa fuisse: sicut prudenter obseruant Stephanus Act. 7. vers. 44. & Apostolus ad Heb. 8. vers. 5.

VII.

Atque hoc fine & modo si peragerentur à fidelibus typica sacrificia, Deo placebant; vt paulò antè dictum fuit de sacrificio Abelis: sin ab hoc fine diuellerentur, Deus ea respuebat: vt Esa. 1. vers. 11. & 66. vers. 3. Ierem. 6. vers. 20. & 7. vers. 22. Amos 5. vers. 22. psal. 50. vers. 8.

VIII.

Vnde patet, contra huius temporis Iudæos, exhibitò in carne Messia, & sacrificio illo verò propitiatorio peracto, cessare debere sacrificia illa typica: si-
cut

cut σκιαγραφία cedit expressæ εἰκόνι τῶν πραγμάτων
Heb. 10. vers. 1. Prophetæ enim & Lex vsque ad tem-
pora Christi durarunt Matth. 11. vers. 13. Et lex pæda-
gogus noster fuit ad Christum respiciens Gal. 13. vers.
24. qui inimicitis legis ceremonialis per carnem
suam sublatis, discrimē Iudæorum & gentium abro-
gavit Eph. 2. vers. 15. Coloss. 2. vers. 14. & nouum illud
fedus olim promissum sanciuit, Ierem. 31. vers. 31. He-
br. 8. vers. 8. Quòd etiam indicauit velum templi in
morte Christi ruptum, Matth. 27. vers. 51.

IX.

Nec pugnat cum hac abrogatione sacrificiorum
typicorum, quòd passim duratura dicuntur in per-
petuum. Leuit. 3. vers. 17. & 10. vers. 15. & 23. vers. 21. &
24. vers. 3. Num. 18. vers. 8. 19. vers. 10. Nam vox illa
LEHOLAM significat durationem temporis etiam
finitam, aliàs longiorem, aliàs breuiorem pro subie-
cta materia: sicut Samuel dicitur mansurus in sacro
officio vsque in seculum, hoc est, vitæ finem. 1. Sam.
1. vers. 22. & seruus aure perforatâ dicitur seruire in
seculum, Exo. 21. vers. 6. Sic etiam sacrificia ista dura-
re debuerunt vsque ad tempora Messix: quo exhi-
bito credentes toto orbe terrarum sacrificant Deo
in Spiritu & veritate. Malach. 1. vers. 11.

X.

Porro typica sacrificia distinguuntur in *ἱλαστικὰ* &
εὐχαριστικά. *ἱλαστικὰ* seu propitiatoria sacrificia fue-
runt certorum animalium immolationes, quibus
populus ad meditationem sacrificij illius verè pro-
pitiorij per Christum præstandi, simulque ad pœ-
nitentiam & fidem excitabatur. Nam licet sanguis
taurorum & hircorum non possit expiare peccata,

A. iij Hebr.

Hebr. 10. vers. 4. tamen expiatoria hæc sacrificia vo-
cantur Exo. 29. vers. 33. Num. 28. vers. 22. quatenus
metonymicè tribuitur typis & signis, quod rei signa-
tæ est proprium.

XI.

Solius autem Sacerdotis erat hæc immolatio: nec
licuit priuato homini suis manibus victimam offer-
re. Leuit. 1. Nam Vzzias rex leprâ etiam percussus
fuit, quòd munus sacerdotale sibi vellet vsurpare 2.
Par. 26.

XII.

Neque licebat quæuis animalia offerre, sed tan-
tùm munda & integra. Leuit. 11. Deut. 14 & 17. vers. 1.
quæ præfigurarent sanctitatem illam Christi tanquã
agni immaculati 1. Pet. 1. vers. 19.

XIII.

Holocau-
sta.

Hoc autem genus sacrificij typici duplex est: alte-
rum *διαλλακτικόν*, alterum *ἀπολυρωτικόν*. Illud Hebræi
vocant *HOLAH* & *CALIL*: Græci *ὀλόκαυσον* &
ὀλοκάψωμα: Latini holocaustum: Lutherus vertit
Brandopffer.

XIV.

Holocaustum est sacrificium typicè propitiato-
rium, in quo animal rite mactatum totum cremaba-
tur, & in cineres redigebatur: quo significabatur,
Christum ad expianda electorum peccata & natu-
ram eorum renouandam, totum se per Spiritum
æternum oblaturum esse.

XV.

Constabat hoc sacrificium ex animalibus maiori-
bus vel

bus vel minoribus, pro facultate cuiusque offerentis. Nam opulenti offerebant ex iuuenis vel vitulis: mediocres ex agnis vel hœdis: inopes ex turturibus vel columbarum pullis.

XVI.

Forma offerendi talis erat, vt maioribus animalibus ad latus altaris constitutis manus imponerentur, eaque à sacerdote iugularentur, sanguis eorum per aræ circuitum spargeretur, & corpus excoriatum atque in frustra dissectum super struem lignorum in altari collocaretur, & incendio excitato cremaretur: minoribus verò, nempe volatilibus, caput retortum digitis abrumperetur, & fissis alis ipsa comburerentur. Leuit. 1. Incendium autem erat ex sacro igne, quæ sacerdotes ex igne cælitus olim delapso exceptum perpetuò fouebant Leuit. 9. qui verò profanum ignem adhiberent, diuinitus sunt puniti. Num. 3. vers. 4.

XVII.

Holocaustum porrò aliud fuit ordinarium, aliud ^{Sacrif. iuge.} extraordinarium. Ordinarium rursus aliud fuit perpetuum siue iuge, aliud statum. Iuge Sacrificium publico sumtu quotidie peragebatur duobus agnis, quorum alter matutino, alter vespertino tempore immolabatur Exo. 29. vers. 39. vt populus perpetuò se exerceret in meditatione futuri sacrificij, fidemque ac pœnitentiam excitaret.

XVIII.

Statum holocaustum fixis ac statis diebus celebrabatur; vt Sabbatinum, quod singulis Sabbatis præter iuge sacrificium offerebatur: menstruum, quod in nouiluniis siue mensium calendis immolabatur, oblatis iuuenis duobus, ariete vno & agnis

A iiij se-

Septem: anniuersarium, quod quotannis recurrentibus magnis festis offerebatur. Leuit. 23. Num. 28.

XIX.

Extraor-
dinar.

Extraordinarium holocaustum erat, quod pro incidente vel publica totius populi, vel priuata cuiusque necessitate peragebatur. Sic Samuel pugnantibus Philistæis contra Israelitas holocaustum obtulit 1. Sam. 7. idemque fecit David peste in populum immissa 2. Sam. 24. Atque huc pertinent sacrificia initiationis, de quibus Exo. 29. Leuit. 8.

XX.

Alterum genus sacrificij typicè propitiatorij erat ἀπολυρωτικόν; quo non vniuersa, vt in holocausto, sed certa quædam peccata expiabantur, & quasi redimebantur. Estque aliud pro peccato, aliud pro delicto.

XXI.

Sacrif. pro
peccato.

Sacrificium pro peccato Hebræi vocant *CHATATH*, Græci *ἵστασιν περὶ ἁμαρτίας*, Lutherus vertit *Sündopfer*: quo peccata ex errore vel ignorantia commissa expiabantur. Totius Ecclesiæ peccatum requirebat iuencum vel vitulum, sicut etiam peccatum sacerdotis: peccatum principis vel magistratus exigebat hircum: priuati hominis peccatū expiabatur caprâ vel oue, item turture vel pullo columbæ, denique farinâ vel similâ. Leuit. 4. & 5.

XXII.

Porrò hoc sacrificium vel totum cremebatur, cuius sanguine altare Domini cōspergebatur, vt sacrificium pro peccato Ecclesiæ & Sacerdotis: vel ex parte tantum, cuius sanguine non conspergebatur altare Domini, vt sacrificium pro peccato principis & priuati hominis Leuit. 4.

Sacri-

XXIII.

Sacrificium pro delicto Hebræi vocant **A S C H A M** Sacrif. pro delicto.
 Græci *θυσίαν περί πλημμελήματος*, Lutherus vertit
Schuldopffer: quo peccata à scientibus & volenti-
 bus commissa quasi expiabantur, oblato ariete, cuius
 vna pars Deo adolebatur, altera sacerdotibus cede-
 bat. Leuit. 7.

XXIV.

Vtrumque hoc sacrificium ordinarium fuit in no-
 uiluniis & festis Paschatos & Pentecostes. Leuit. 23.
 vers. 19. Num. 28. vers. 15. 22. extraordinarium alio
 quouis tempore, quo peccabatur.

XXV.

Atque hæc de sacrificio typicè propitiatorio: se-
 quitur *εὐχαριστήριον*, quo vetus populus ad gratiarum
 actionem & nouam obedientiam exuscitabatur,
 suamque erga Deum gratitudinem testabatur. Euchari-
 stica sacrif

XXVI.

Eucharisticum sacrificium aliud fuit simplex, Sacrif. pa-
 cificorum.
 aliud mixtum. Simplex iterum distinguitur in sacri-
 ficium pacificorum, & Mincha siue oblationem
 muneris. Pacificum Hebræi vocant **ZEBACH SCHE-
 L A M I M**, Græci *θυσίαν σάβηεις*, Lutherus vertit
Dankopffer: quo bouē vel ouem vel caprum vtriuf-
 que sexus ad declarandum pro beneficiis acceptis
 gratitudinem offerebant. Hic vna pars Deo adole-
 batur, altera sacerdoti cedebat, tertia redibat ad of-
 ferentem, qui ex ea lætum conuiuium instruebat.
 Leuit. 3.

XXVII.

Aliud autem erat pacificum sacrificium sponta-
 neum, quod quis solâ animi deuotione offerebat, in

B quo

quo etiam superfluum aut diminutum animal offerre licebat: aliud votivum, quod ex pacto & promissione Deo facta offerebatur. Leuit. 22. vers. 23.

XXVIII.

Mincha. Mincha, quod Græci interpretes verterunt δῶρον, Lutherus *Spreibopffer*, fuit oblatio, qua honorarium munus de terræ fructibus Deo offerebant, eique gratias agebant. Fiebat autem tum ex aridis, tum ex liquidis. Aridorum tria erant genera, nempe primitiæ frugum; deinde farina pura nondum coctâ; tum panis vel in clibano coctus, vel in sartagine frixus, vel tostus in craticula, Ex liquidis vinum Deo fundebatur, quod libamen seu libatio dicitur. Exo. 29. v. 40. Leuit. 2. v. 1. & deinceps.

XXIX.

Sacrific. Laudis. Mixtum sacrificium Hebræis dicitur sacrificium *THODAH* Laudis seu confessionis, Græcis *ἱνα ἀνέσεως*, Lutherus *Lobopffer*: quo ex animalibus & terræ fructibus Deo offerentes, testabatur se eum agnoscere rerum omnium conditorem & bonorum illorum authorem. Leuit. 9. vers. 18. 2. Paral. 15. vers. 11. & 29. vers. 33.

XXX.

Haftenus de sacrificiis typicis, in quibus omnibus sal adhiberi solebat, qui ex sacro igne incendebatur Leuit. 2. vers. 13. Matt. 9. vers. 49. oleum quoque adhibebatur & thus, præterquam in sacrificio pro peccato. Fermento autem sacrificia omnia carebant, quæ quidem Deo adolebantur: sicut nec mel adhibere licebat Leuit. 2. vers. 11.

XXXI.

Sacrif. verum.

Sequitur sacrificium verum seu morale, quod Deo per se:

per se placet, quippe per quod Deo sanctâ societate
inhæremus, ait August. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 6. est
que positum in dilectione Dei & proximi, teste ibi-
dem August. cap. 5.

XXXII.

Distinguitur & hoc in propitiatorium & eucharis-
ticum. Propitiatorium est vnicum illud Christi Ser-
uatoris nostri sacrificium, qui seipsum in ara crucis
Deo offerens, sufficientissimum pro totius mundi
peccatis λύτρον persoluit, & reipsa omnia electorum
peccata expiauit: sicut clarissimè docetur ad Hebr.
7. 8. 9. 10. capitibus.

XXXIII.

Et licet huius sacrificij efficacia etiam in Vetere
Testamento fidelibus fuit præsentissima, qui verâ fi-
de Christi sacrificium intuiti sunt, eiusque verè par-
ticipes facti; adeò vt crucifixam illam carnem Chri-
sti ederint, & fustum eius sanguinem biberint. Hebr.
13. v. 8. Apoc. 14. vers. 8. Ioh. 8. vers. 56. 1. Cor. 10. vers.
3. 4. Ioh. 6. vers. 53. tamen reipsa demum peractum est
in plenitudine temporis, cum Deus in carne mani-
festatus Ecclesiam suo sanguine redemit. Gal. 4. vers.
4. 5. Act. 20. vers. 28.

XXXIV.

Nullum siquidem agnoscimus verè propitiato-
rium Sacrificium, præterquàm vnicum illud Christi
cruentum sacrificium in cruce peractum: quod cum
sit perfectissimū, iterari nullo modo potest. Est enim
Christus sacerdos ille æternus secundum ordinem
Melchizedek. Psal. 10. Heb. 7. qui semetipsum per
spiritum æternum semel obtulit, atq; vnicâ istâ obla-
tione consecrauit in perpetuum eos qui sanctifican-

B ij tur

cur Heb. 9. vers. 14. 26. & 10. vers. 12. 14.

XXXV.

Quia tamen in Sacra Cœna memoriam huius sacrificij recolimus, eiusque magis ac magis participes efficiamur, testantes simul nostram erga Deum pro tanto beneficio gratitudinem: factum est, ut veteres Ecclesiæ Doctores Eucharistiam sæpe vocarint sacrificium: nempe partim commemoratiuum & representatiuum illius sacrificij Christi, partim Eucharisticum siue gratiarum actionis. Sic enim inter alios August. de fide ad Petr. Diac. cap. 19. In carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro nostris peccatis erat oblaturus. In ipso autem sacrificio, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit.

XXXVI.

Euchari-
sticum.

Eucharisticum verum sacrificium, est sanctum quodque opus, siue internum siue externum, ex fide Mediatoris ad laudem Dei peractum: quod tam locum habuit in vetere quàm nouo Testamento. Atque hic excellunt in primis preces & confessiones, Psalm. 50. vers. 14. & 107. vers. 22. qui sunt vituli labiorum, Ose, 14. vers. 3. Hebr. 13. vers. 15. deinde beneficentia in pauperes, Hebr. 13. vers. 16. tum mortificatio carnis & studium nouæ obedientiæ Rom. 12. vers. 1. quum nos totos Deo consecramus, ut tanquam regale sacerdotium spirituales hostias ipsi offeramus, 1, Pet. 2. vers. 5. 9. denique martyrium, quo veritatem Christi obfirmamus, & pro eius gloria sanguinem profundimus, Phil. 2. vers. 17.

EPI-



VII
EPISAGMA ADVERSVS
IMPIVM MISSÆ SACRIFICIVM.

I.

MISSAM huius temporis Pontificij dicunt esse externum, reale & propitiatorium sacrificium, in quo sacrificus corpus & sanguinem Domini sub speciebus panis & vini contentum Deo Patri offerat, ad expianda tum viuorum tum eorum qui in purgatorio sunt peccata, & ad impetranda omnis generis bona corporalia & spiritualia. Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. & 2. & Can. 1, 2, 3, 4. Alphons. de Castro lib. 10. tit. Missa. Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 6, 7, 8. & deinceps, & lib. 2. cap. 1, 2, 3. & deinceps.

II.

Hanc ipsorum doctrinam impiam, & in Deum blasphemam, ac prorsus idololatricam esse asserimus: quippe quæ vnicum Christi sacerdotium & sanctissimum sacrificium abnegat, cum S. Coena è diametro pugnat, & fidei nostræ articulos complures eneruat.

III.

Nam primò, cùm agitur de sacrificio propitiatorio, Scriptura vnum tantum agnoscit sacerdotem Christum in Nouo Testamento, qui cùm sit eternus, successore non habet opus. Psalm. 110. Hebr. 7. cùm verò sermo est de eucharisticis sacrificiis, omnes Christianos regale vocat sacerdotium. 1. Pet. 2. v. 5. 9.

B iij

Dein-

IV.

Deinde eadem Scriptura docet, oblationē Christi vnicam esse, non modò specie, sed etiam numero: atque ita perfectam, ut non sit repetenda. Hebr. 7. v. 12. & 9. vers. 12. & 10. vers. 10. 11, 12. imò disertè inculcat, non posse vllam esse oblationem Christi, nisi intercedere eius morte Heb. 10. v. 16. 22. (ne aduersarij quærant effugium in modo sacrificij, quem vocant, incruento) & generatim colligit, vbi est peccatorum remissio, ibi non amplius esse oblationem pro peccatis. Heb. 10. vers. 18.

V.

Tertiò tantùm inter S. Cœnam & Missam Pontificiam inreresit, quantum inter dare & accipere. In Cœna enim corpus & sanguinem suum Dominus edendum ac bibendum dat fidelibus, & quidem omnibus ex æquo communicantibus, in sui memoriã. 1. Cor. 11. At in Missa sacrificus ait, se corpus & sanguinē Christi Deo Patri offerre, & quidem pro non communicantibus, viuis & mortuis.

VI.

Quartò articulos de veritate naturæ Christi, de vero ipsius ascensu in cœlum, de spirituali & prorsus eâdem omnium fidelium cum Christo communione, figmentum Missæ euertit: quatenus corpus Domini sub specie panis latêre, & aliam sacrificij Christi applicationem, quàm quæ per fidem obtingit, comminiscitur.

VII.

Fundamentum erroris est crassa opinio de corporali præsentia carnis Christi in ipsis signis: quo euerso necessè est ruere totum illud impietatis & idololatriæ

VII
triæ ædificium. Hinc enim enata est Transsubstantiatio: hinc profecta est communio sub vnâ tantum specie: hinc adoratio & circumgestatio panis pro Deo: hinc denique profluxit abominandum Missæ sacrificium. Vt nihil iam dicamus de abusu peregrinæ linguæ, de histrionico ornatu & gestu Missificorum, & similibus nugis vanissimis.

VIII.

Quare aduersariorum quidem cæcitatem seriò deploramus; Deum verò opt. max. indefinenter oramus, vt doctrinam de Sacrificiis rectè intellectam in praxi rectè accomodemus: nempe vt totâ fide in sanctissimo Christi sacrificio acquiescamus, quo vno peccata nostra sunt expiata, & æterna coram Deo iustitia nobis acquisita: simulque hostias spirituales in Ecclesia perpetuò offeramus, acceptas Deo per Iesum Christum. Amen.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Umg. VI 45


ULB Halle 3
002 379 767



s. b.


WDA





[Faint, illegible Latin text visible through the leather, appearing as bleed-through from the reverse side of the cover. The text is arranged in columns, with some larger letters or initials visible.]





THESES THEOLOGICÆ,
 DE
 SACRIFICIIS,
 CVM EPISAGMATE
 ADVERSVS COMMENTI-
 TIVM MISSÆ SACRIFICIVM:
 Diuinâ fauente gratiâ,
 AVTHORITATE VENE-
 RANDI ORDINIS THEOLOGICI:
 PRÆSIDE REVERENDO ET
 CLARISSIMO VIRO, IACOBO KI-
 medoncio, S. Theologia D. & Profes-
 sore, in inclÿta Academia Heidel-
 bergensi, ad diem VIII. Iunij,
 Ad disputandum propositæ
 A CONRADO VORST
 AGRIPPINENSI.
 PRO LICENTIA DOCTORA-
 TVS IN S. THEOLOGIA.
 HEIDELBERGÆ
 TYPIS SMESMANNIANIS.
 ANNO MDXCIV.